



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

etione, non verò à necessitate immunes, non procedunt ex deliberatione rationis, & electione voluntatis ut constat in amore beatifico, vel in volitione boni ut sic: Ergo non possunt dici actus morales & humani.

Probatur ultimò conclusio egregia ratione quam fuscè prosequuntur Salmanticenses hinc ita. *disp. 1. dubio 1. §. 2.* & quæ potest sic breviter proponi. Actus nostri non alia ratione dicuntur morales, nisi quia subjacent regulis morum, & ab illis regulantur; sicut actio aliqua ex eo artificialis dicitur, quod subditur regulis artis: Sed actus purè spontanei, & à sola coactione immunes, non possunt regulis morum subjici, nec ab eis dirigi & regulari: Ergo nec morales dicitur. Major patet, Minor probatur. Cum enim regula seu lex adhibeatur actionibus, ut eas ab extrinsecis ad medium regulæ deducat, frustra illa adhiberetur actioni, quæ non est variabilis secundum medium & extrema, sed suapte natura invariabilis, & ad unum determinata: Actus autem purè spontanei, & à sola coactione immunes, sunt omninò invariabiles, & ad unum ex sua natura determinati, ut patet in amore beatifico, & in volitione beatitudinis in communi: Ergo illi non possunt subjici regulis morum, nec ab eis dirigi & regulari.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Proprium munus regulæ moralis est imponere modum regulato, determinando ipsum ad unum quod ratio dicitur, unde quod moraliter regulatur, supponitur indifferens ut sic vel sic determinetur: Ergo actus qui non sunt indifferentes, sed ad unum totaliter determinati, non possunt cadere sub regula morali, nec dici moraliter boni aut mali.

Dico secundò: Ut actus sint moraliter boni aut mali, meritorii vel demeritorii, non requiritur necessariò libertas contrarietatis seu specificationis, sed sufficit libertas contradictionis seu exercitii.

Probatur primò: Christus, dum erat viator, exercebat actus meritorios & moraliter bonos; & tamen cum esset ab intrinseco impeccabilis, non erat in eo libertas contrarietatis ad bonum & malum. Item Angeli in primo instanti beatitudinem meruerunt, per actum charitatis, qui fuit necessarius quoad specificationem, & libertarum quoad exercitium, cum in illo instanti peccare non potuerint, ut docuimus in tractatu de Angelis: Ergo ad eliciendos actus meritorios & moraliter bonos, non requiritur necessariò libertas contrarietatis & specificationis, sed sufficit libertas contradictionis seu exercitii. Unde D. Thomas qu. 24. de verit. art. 9. ad 5. dicit: *Posse peccare non facit ad meritum, sed ad meriti manifestationem; in quantum ostendit opus bonum esse voluntarium.*

Probatur secundò: Illa libertas sufficit ad moralitatem, quæ satis est ut actus cadant sub regulis morum, ita quod hujusmodi regulæ possint ipsum dirigere, & de eo disponere: Sed ad hoc sufficit libertas quoad exercitium: Ergo ad merendum vel demerendum, sufficit libertas exercitii. Major patet ex dictis conclusione præcedenti, Minor probatur. Eo ipso quod actus sit liber quoad exercitium, potest ratio & lex de illo disponere, ipsumque præcipere vel prohibere: Ergo cadit eo ipso sub regulis morum.

Confirmatur: Actus sic liber non est determinatus à natura ut sit vel non sit, sed ad utrum-

que indifferens: Ergo potest dirigi & determinari per regulas morum.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBJECTIONES primò contra primam conclusionem: D. Thomas in 2. dist. 40. qu. 1. art. 1. ait: *Actus sunt in genere moris, ex hoc quod sunt voluntarii.* Sed actus purè spontanei, ut volitio boni ut sic, & amor beatificus, sunt voluntarii, quia sunt à principio intrinseco, cum cognitione finis: Ergo sunt in genere moris. Unde idem S. Doctor qu. 19. de verit. art. 6. & in 3. sent. dist. 28. qu. 1. art. 2. ad 2. docet actum charitatis, quo Christus Deum diligebat, fuisse meritorium. Et in resp. ad 5. sic ait: *Etiam si liberum arbitrium Christi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum (quod non facere non potest) tamen per hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tendit, & ita est actus sui dominus.*

Respondeo, quòd quando S. Thomas ait a-179 actus in genere moris, ex hoc quod sunt voluntarii, sumit voluntarium pro libero, non verò pro spontaneo, ut infra patebit.

Ad aliud testimonium, relictis variis solutionibus, responderetur cum Banne, Alvare, & Salmanticensibus, actum charitatis Christi Domini posse considerari dupliciter; primò, prout respicit Deum ut bonum secundum se, & hoc modo fertur in illum omninò necessariò, unde prout sic non fuit meritorius: secundò, quatenus respicit Deum secundum quod in actu exercito est ratio diligendi creaturas; & prout sic fertur ad eum liberè, saltem quoad exercitium; & hac ratione fuit meritorius. Quoad modum enim ipse amor divinus & increatus simul est necessarius & liber respectu diversorum: necessarius quidem, quatenus terminatur ad divinam bonitatem sumptam secundum se; liber verò, prout terminatur ad creaturas, vel (quod idem est) ad ipsam divinam bonitatem, ut est in actu exercito ratio illas diligendi: ita etiam actus charitatis Christi Domini, & amor beatificus aliorum beatorum, quia sunt participationes formales amoris divini & increati, habent quod secundum illam diversam terminationem objectivam, sint simul necessarii & liberi; licet cum hoc discrimine in beatis, & in Christo, quod in illis non sunt secundum illam rationem meritorii, defectu status viæ; cum tamen in Christo, qui simul erat viator & comprehensor, actus charitatis ut terminatus ad essentiam divinam, quatenus erat ratio diligendi creaturas, præsertim rationales, pro quibus mori debebat, meritorius esset.

DICES: Ideo essentia divina secundum se considerata, amat, absq; ulla profusè indifferencia, quia prout sic est bonum infinitum clarè visum: Sed etiam prout est ratio diligendi creaturas, est bonum infinitè clarè visum, cum sit eadè profusè indivisibilis bonitas divinæ essentia: Ergo pariter sub hac secunda consideratione rapitur voluntatem necessariò, & absq; ulla indifferencia.

Respondeo, bonitatem divinam, ut est ratio diligendi creaturas, esse quidem in se seu subjektivè infinitam; tamen formalissimè applicatà creaturis, per modum rationis illas diligendi, finitam esse, quia finito modo applicatur, sicut &

cur & ipsa creatura finitè illam participant. A Cujus rei exemplum est in eadem essentia divina, unita per modum speciei impressa mentibus beatorum, quæ prout unita formaliter, finita est, quia finitè unitur, licet in se seu subjectivè infinita sit: & rursus in eadem essentia, ut continente ratione idealem equi, quæ etiam prout sic formaliter comprehensibilis est, licet in se, seu subjectivè, incomprehensibilis sit.

181 Ex his patet solutio ad aliud testimonium: nam D. Thomas ibi solum intendit, quod est liberum arbitrium Christi esset determinatum ad unum, scilicet ad dilectionem Dei, quoad perfectiones necessarias, poterat tamen mereri, quia cum tali determinatione remanebat liber & indifferens quantum ad exercitium, seu indifferentiâ & libertate contradictionis, ad eandem dilectionem Dei, prout est ratio diligendi creaturas. Unde solum vult in actu necessario posse reperiri laudabilitatem & meritum, non ex ea parte quâ necessarius est, sed pro ea quâ liber est libertate contingentia, non entitativa, sed terminativa: alioquin sibi aperte contradiceret, ac destrueret primam responsionem quam ibidem præmittit; in ea enim asserit Christo convenire libertatem ad meritum necessariam, quia licet determinatus sit ad bonum in genere, libertatem nihilominus ac indifferentiam habet circa varia specie ac numero bona. *Dicendum* (inquit) *quod liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum secundum numerum, sed ad unum secundum genus, scilicet ad bonum. Quam solutionem clarioribus verbis expressit 3. p. qu. 18. art. 4. ad 3. Dicendum quod voluntas Christi, licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel ad illud bonum; & idè pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono.*

182 In istis: Ergo perperam assignavit D. Thomas, pro ostendenda libertate actus dilectionis in Christo, hanc causalem *quia in illum non coactè sed sponte tendit*: Sed debet dixisse, quia adhuc respectu istius actus, ut terminati ad creaturas, habet indifferentiam.

Sed nego consequentiam: Licet enim spontaneitas, seu negatio coactionis, non sit ratio formalis, fundans in dilectione Christi laudabilitatem & meritum, est tamen ratio permittendi in eadem dilectione, ut terminata ad creaturas, indifferentiam contradictionis, fundantem rationem laudabilitatis & meriti: quia si dilectio beata Christi esset coacta, nullo modo posset esse libera, libertate contradictionis, nec consequenter meritoria: ut ergo S. Thomas salvet actum dilectionis in Christo, sub aliqua sui consideratione fuisse liberum, libertate contradictionis, ac proinde meritorium, rectè hanc causalem assignat, *quia in illum non coactè sed sponte tendit*: additque, *& ita est sui actus dominus*: quia, ut dixi, spontaneitas seu negatio coactionis, est ratio permittendi dominium, ac indifferentiam contradictionis in dilectione Christi beatifica, ut ad creaturas terminata.

183 Pro completa hujus difficultatis resolutione, advertendum est, quod quamvis de fide certum sit ad merendum vel demerendum in nobis viatoribus libertatem indifferentia requiri, non tamen in Christo, quia Innocentius X. in nova constitutione definiens ad merendum vel demerendum non sufficere libertatem à coactione, sed requiri libertatem, à necessitate, loquitur expressè de merito aut demerito hominis in sta-

tu naturæ lapsæ: unde quamvis diceretur Christum, Angelos, vel homines in statu innocentia, per actus purè spontaneos meruisse, nihil prædictæ constitutioni repugnans assereretur. Porro non eò hæc addo, quod negem Christum merendo liberum fuisse libertate indifferentia, cum maximè liber fuit, sed quod negem illum eo modo quo nos liberi sumus, liberum fuisse; & ut distinguam certa fidei dogmata à conclusionibus vel opinionibus Theologicis, quæ pari certitudine & firmitate non gaudent.

Objicies secundo: Amor beatificus, ut terminatur ad Deum secundum se, est actus omnino necessarius: Sed ut sic est moraliter bonus: Ergo ad bonitatem moralem non requiritur necessariò libertas indifferentia. Major patet, Minor probatur primò. Quia amor Dei in patria habet eandem bonitatem, quam habebat in via, cum tendat in idem objectum: Sed in via est bonus moraliter: Ergo & in patria. Secundo, quia in patria facit hominem perfectum, sanctum, & moraliter bonum, sicut in via. Tertio, quia in patria retinet oppositionem moralem cum odio Dei, quam habebat in via. Denique, quia nisi esset bonus moraliter, caretet aliqua perfectione quam habet amor viæ, effectusque proinde minus perfectus: quod admitti non potest.

Respondeo concessa Majori, negando Minor. Ad cujus primam probationem dicendum, quod amor Dei in patria habet eandem bonitatem ex parte operis, quam habebat in via, non tamen ex parte operantis: quia licet tendat in idem objectum, non tamen eodem modo; in via enim liberè in illud tendit, in patria verò necessariò. Sicut licet motus primò-primi & indeliberati versentur circa idem objectum, ac actus deliberati; quia tamen isti tendunt in illud cum advertentia & libertate, sunt moraliter boni vel mali, non verò illi.

Ad secundam respondeo, quod licet amor beatificus, ut terminatur ad Deum, defectu libertatis careat bonitate morali & subjectivâ, ratione cujus actus imputatur & meritorium est; quia tamen est bonus objective, ut potest tendere in objectum bonum & rationi consonum, facit hominem perfectum, sanctum, & bonum moraliter, & retinet oppositionem moralem cum odio Dei, quam habebat in via. Per quod patet ad tertiam probationem.

Ad ultimam dicatur, eandem & longè maiorem perfectionem eâ quam habet amor viæ, ratione moralitatis, reperiri eminenter in amore patriæ, ratione physicae entitatis, & determinationis necessariæ ad suum objectum: unde non idè erit absolutè minus perfectus, quamvis non sit in eo bonitas moralis; sicut non est minus perfectus, quia caret libertate, quam amor viæ, qui est liber. Addo, prædictum amorem non carere absolutè bonitate morali, sicut absolutè non caret libertate: quia licet ad Deum secundum se terminetur necessariò, ad ipsam tamen, ut est in actu exercitio ratio diligendi creaturas, terminatur liberè, & ut sic participat moralitatem, sicut in solutione præcedentis objectionis declaravimus.

(*)